



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio II. Vtrùm Collectio accidentium sit principium individuationis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. I. Quid sit Vnitas numerica. 279

cuius sit, & ad quod sequatur, sed non sequitur ad ens ut sic: ergo sequitur ad tale ens, id est singulare: ergo non constituitur singulare per incommunicabilitatem.

³⁰ Dices ordinem superioris, & inferioris debere conformari in his, quæ sunt in superiori, & contrahuntur ad inferius; non in his, quæ non sunt in superiori, & quæ sunt opposita privativa his quæ in superiori sunt, v. g. incommunicabilitas.

³¹ Contra, quia in inferiori non solum sunt eodem ordine ac in superiori prædicata positiva, sed etiam eodem ordine est negatio in inferiori quo erat forma negata in superiori, nam v. g. quia prius est in homine ut sic realitas, quam risibilitas, & si supernaturaliter tolleretur in Petro risibilitas quæ concipitur in homine, ut sic, privatio risibilitatis non esset prius in Petro, quam rationalitas, imo necessario esset posterius, quia privatio regulatur, & est eodem ordine in subiecto, quo erat forma in superiori, quia semper privatio ubique est, mensuratur cum forma, cuius privatio est, & negatio cum forma quam negat, scilicet cum forma, quæ per impossibile deberet esse in illo subiecto, in cœlo enim prius est negatio hominis, quia est ex vi suæ essentiae, quam negatio coloris cerulei, vel albi, licet veritas forma impossibilis est cœlo, quia per impossibile prius esset homo cœlum, quam albus homo: ergo prius debet esse in cœlo negatio hominis, quam negatio albedinis, clarius hoc convincitur, quia prius datur in homine esse animal rationale, quam esse speciei in Petro prius datur esse tale animal, quam esse inferius subiectibile speciei, & quam negatio essendi superius, & negatio essendi speciei propter eandem rationem dictam, sed in superiori prius est esse ens indivisum in se, quam esse communicabile: ergo prius est in singulari ente esse tale ens indivisum in sua entitate singulari, quam incommunicabilitas, siquidem incommunicabilitas, quæ est negatio communicabilitatis debet in ordine essendi in inferiori totaliter regulari cum modo essendi in superiori formæ positivæ communicabilitatis.

³² Tandem probatur hoc omnibus argumentis, quibus nostra conclusio probata manet *disput. 3. quæst. vbi* interrogatur quæ sit hæc negatio, præcipue a §. *Confirmatur, quia eo modo est*, & c. usque ad finem.

SECTIO ULTIMA.

Solvuntur Argumenta.

³³ Ad locum Arist. Respondetur nihil contra nos ibi dixisse Philosophum, nam de singulari tantum dicit esse vnum numero, & cum vnitas in sententia Arist. posita sit in indivisione in se etiam talis vnitas, scilicet numerica consistit in indivisione in entitate numerica, ibi enim nihil dicit, nec mentionem facit communicabilitatis, imo ex eodem loco colligitur vnitatem numericam non constitui tali negatione, quæ ab adversarijs ponitur, nam sicut ex eo quod universale constituitur communicabilitate ad multa, & ideo Aristoteles ibi universale esse in his dicit, id est incommunicabile ad multa, sic similiter diceret singulare esse incommunicabile, vel non in his, qui nihil dixit de hac incommunicabilitate, sed tantum esse vnum numero: ergo

ex sententia Aristotelis vnum numero non constituitur per incommunicabilitatem, sed constituitur per illam rationem formalem per quam constituitur vnum ut sic, & vnum essentiale contractam tamen.

Ad exemplum adductum negamus vnitatem humanitatis esse communem secundum se, & metaphysice pure realiter sumptam, sic enim solum continet vnitatem formalem, & essentialem, & ideo dixit Divus Thomas humanitatem secundum se, nec esse vnam vniversaliter, nec plures, id est, nec essentialiter includere individuationem, nec includere communitatem, sed tantum prædicata essentialia, ut negationem divisionis in illis.

Ad ultimam partem etiam negamus humanitatem Christi esse singularem realiter, quia est incommunicabilis, sed quia constituitur per ultimo detractam, & aromam differentiam positivam, in qua secundum ultimum, & expressum conceptum illius nulla datur convenientia à parte rei cum alio, & hæc vocatur à Scoto hæc ceitas, de qua dicemus nunc, nec humanitas Christi, dicitur vna numero, & singularis, quia est indivisibilis in multa, sed quia est indivisa in illo esse constituto per ultimam differentiam hæc ceitatis.

Ad confirmationem respondetur distinguendo illam primo intentionaliter, & realiter nego, de quo nunc querimus; secundo intentionaliter concedo, & ut est oppositum, & inferius vniversalis, & in hoc sensu non est maior ratio in vniversalis, quam in singulari, ac proinde in hac ratione datur proportio; in vnitate autem reali minime, quia vniversale ut communicabile est ens rationis.

Ad secundum respondetur distinguendo; opponuntur prima intentionaliter, nego; secundo intentionaliter, concedo; & sic eo modo, quo opponuntur, constituantur per secundas intentiones communicabilitatis; cum autem secundo intentionaliter non opponantur, ideo singulare non constituitur per incommunicabilitatem, quia incommunicabilitas ens rationis est, & ens reale ut est vnum numero in esse vnus numero non potest constitui per ens rationis.

QVÆSTIO II.

Verum collectio accidentium sit principium individuationis?

SECTIO I.

Sententia Adversaria ponitur.

PRIMA sententia, quam refert Scotus in 2. dist. 3. q. 3. asserit principium individuationis esse collectionem omnium accidentium, quæ invenitur in quolibet individuo.

Probatur primo ex Porphyrio capite de Specie, ita definiente individuum substantiale individuum est, cuius collectio proprietatum, quæ in vno reperitur, in alio reperiri non potest: ergo collectio accidentium est principium individuationis.

tionis: probatur consequentia; illud est principium individuationis, per quod unum individuum distinguitur ab alio; sed ex Porphyrio unum individuum distinguitur ab alio per collectionem accidentium: ergo collectio accidentium est principium individuationis.

40 Secundo ex Sancto Ceberino Boëcio explicante ipsum Porphyrium, qui sic ait: Plures sunt, de quibus species prædicatur, non substantiæ diversitate, sed accidentium multitudine, & de Trinit. asserit, in numero differentiam, accidentium varietas facit: ergo ex Sancto Ceberino cum distinctio individualis sumatur à collectione accidentium, ipsa erit principium individuationis.

41 Tertio, vel individua substantialia eiusdem speciei differunt essentialiter, vel accidentaliter; sed non essentialiter: ergo accidentaliter: ergo individuatō est accidens. Probatur minor, primo quia species non contraheret actu totam quidditatem individui: sed hoc est falsum: ergo individua non distinguuntur essentialiter. Minor est evidens, quia species prædicatur in quid complete: sed ideo prædicatur in quid complete à distinctione generis, quia species continet totam essentiam rei actualiter, & genus solum partem: ergo, &c. probatur maior; id per quod unum individuum distinguitur ab alio, non continetur actualiter in ipsa specie: ergo si individua distinguerentur essentialiter, species non contineret actu totam essentiam rei. Probatur consequentia, id continet actu totam essentiam rei, quod continet id, per quod essentialiter distinguitur; sed species non continet actu id per quod unum individuum essentialiter distinguitur ab alio: ergo species non contineret actu totam essentiam individui; probatur minor, species non continet actu differentiam individualem; sed unum individuum distinguitur essentialiter ab aliquo per differentiam individualem: ergo species non continet essentialiter id, per quod unum individuum essentialiter distinguitur ab alio. Secundo probatur eadem minor principalis, species infima non potest dividi per differentias essentielles; sed si unum individuum essentialiter distingueretur ab alio, species infima divideretur per differentias essentielles: ergo unum individuum non distinguitur essentialiter ab alio; tunc sic: ergo distinguitur accidentaliter: ergo individuatō est accidentalis. Patet ultima consequentia; id per quod unum ens distinguitur ab alio accidentaliter, est accidentale; sed unum individuum distinguitur ab alio accidentaliter per individuationem: ergo individuatō est accidentalis.

42 Quarto sequeretur quod Petrus, & Paulus, substantialiter, & individualiter essent primo diversi; sed hoc implicat: ergo, &c. Probatur minor, si Petrus, & Paulus essent primo diversi, ratio substantiæ non diceretur univoce de illis; sed hoc implicat: ergo, &c. Probatur maior, de primo diversis nihil dicitur univoce: ergo, &c.

SECTIO II.

Nostra sententia ponitur.

43 Conclusio: principium individuationis intrinsecum non potest esse collectio omnium

accidentium; est communis Doctorum sententia, in qua conveniunt etiam Thomistæ nobiscum.

Probatur primo, si collectio omnium proprietatum esset principium intrinsecum individuationis, mutata collectione, mutaretur individuum; sed hoc est falsum: ergo collectio proprietatum, vel accidentium non est principium intrinsecum individuationis: maior est evidens, quia mutata forma, vel constitutiva intrinsece, necessario mutatur effectus formalis, vel constitutum: probatur minor, in Resurrectione Christi Domini fuit mutata collectio accidentium; sed non fuit mutatum individuum substantiale: ergo mutata collectione accidentium non mutatur individuum substantiale substantialiter: maior est certissima in nostra fide, ut optime probat eximius Doctor Thom. 2. in 3. p. disp. 48. sect. 1. quia Corpus Christi Domini fuit ornatum varijs donis, & qualitatibus supernaturalibus, præsertim illis quatuor, quæ ab omnibus Catholicis agnoscuntur, claritate scilicet, impassibilitate, agilitate, & corporis subtilitate, quod etiam conveniet alijs corporibus iustorum in die ultimæ resurrectionis: ergo tunc mutabitur collectio accidentium; minor non est minus certa, quia Christus Dominus idem fuit individuum, quod fuit mortuus in Cruce, & quod postea resurrexit; de alijs etiam hominibus est in fide certum, quod resurgunt eadem individua, quæ mortua fuerant; quod probatur ex illo Job. 19. [Scio enim quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspiciuntur sunt, & non alius;] quod confirmat Concilium secundum Toletanum, in confessione fidei, super illa verba Christi Domini, Luca 24. Palpate, & videte quia spiritus carnis, & ossa non habet, sicut me videtis habere: hoc ergo exemplo capitis nostri resurrectionem carnis omnium mortuorum, neque in aërea, vel qualibet alia carne, ut quidam delirant, resurrecturos nos credimus; sed in ista, qua vivimus, movemur, & sumus: ergo in resurrectione erit idem individuum; sed tunc non datur eadem collectio accidentium: ergo collectio accidentium non est principium intrinsecum individuationis.

Secundo individuum ut individuum, est quid substantiale: ergo collectio accidentium non est principium intrinsecum individuationis. Antecedens est evidens; quia individuum est prima substantia, quam Aristoteles vocat maximam substantiam, imò à parte rei non dantur substantiæ, nisi individua, & ratione illarum secundæ substantiæ, substantiæ sunt; consequentia est evidens, quia omne illud, quod intrinsece constituitur accidentibus est quid accidentale, seu ens per accidens; sed individuum, v. g. Petrus nec est per accidens ens, nec accidentale: ergo non potest constitui intrinsece in ratione individui per collectionem accidentium. Maior est certissima, & constat ex dictis, & infra dicendis, & licet aliqui asserant, compositum ex substantia, & accidentibus esse ens per se, nihilominus nemo dixit, illud esse ens per se substantiale, & poni per se in prædicamento substantiæ; sed individuum ut individuum est, ponitur per se in prædicamento substantiæ; ergo individuum ut individuum

dividuum est, non constituitur intrinsece per collectionem accidentium.

46 Tercio accidentia recipiuntur in substantia individua: ergo supponunt individuationem substantiæ; probatur antecedens, omne existens à parte rei est individuum; vt late probatum est in Logica contra Platonem, *disp. de natura universalium*; sed accidentia recipiuntur in substantia existente à parte rei: ergo accidentia recipiuntur in substantia individua, & singulari. Probatur minor: substantia in quantum accidentia recipiuntur in illa, est causa illicum; sed omnis causa realis necessario petit existentiam ad causandum: ergo substantia recipit accidentia, vt existens à parte rei. Maior constat ex dictis in *Physicis lib. 1. disp. 4. q. 4.* vbi probavi omnes formas accidentales educi de potentia subiectorum; sed omne illud ex cuius potentia aliquid educitur, est causa realis illius: ergo substantia est causa realis accidentium, & loquor de causalitate mediata, vel immediata. Minor etiam probata est *lib. 2. Physicor. disp. 2. quæst. 4.* vbi probavi existentiam realem esse necessariam ad causandum physice, & realiter: ergo substantia supponitur existens ad omnia accidentia; ergo accidentia nullo modo possunt constituere intrinsece individuationem substantiæ, patet, quia nullum constitutum supponitur ad constitutum; sed substantia individua supponitur ad collectionem accidentium: ergo collectio accidentium non est constitutum individuationis substantiæ. Maior est evidens, quia nihil potest supponi ad suam essentiam; ideo enim homo non potest presupponi ad animal, & rationale; quia animal, & rationale sunt constitutiva hominis, & ideo animal supponitur, & est prius homini, quia homo non constituit animal, & animal in quantum supponitur ad hominem; supponitur cum omnibus suis prædicatis essentialibus; ergo nullum constitutum potest supponi, & esse prius suis constitutivis; sed substantia supponitur vt individua ad omnem collectionem accidentium, vt probatum est: ergo collectio accidentium non est constitutum intrinsecum individuationis substantiæ.

47 Confirmatur: ideo colligunt evidentem omnes Doctores; existentiam substantiæ nullo modo posse constitui per collectionem accidentium, quia existentia substantiæ supponitur ad collectionem accidentium; sed individuat substantia supponitur ad collectionem accidentium: ergo individuat substantia non potest constitui per collectionem accidentium. Adverte ad ea, quæ dicenda sunt *sectione 3. sequentis quæstionis*, quod Thomistæ, qui nobiscum conveniunt, vtuntur hac ratione, & quod in collectione accidentium includitur etiam quantitas determinata, vtrum autem hoc ab ipsis consequenter dicatur cum his, quæ dicenda sunt, ipsi viderint, quia omnes solutiones, quas ipsi præbent argumentis, quibus contra illos probamus, materiam signatam quantitate non posse esse principium intrinsecum individuationis, possunt præberi his argumentis, quibus nobiscum in hac parte probant nostram sententiam, quam certam, & indubitatam existimant.

R. P. Idesp. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

Ad primum argumentum, quod desumitur ex 48 definitione Porphyrij respondeo, ipsum non definisse essentialiter, sed solum accidentaliter descripsisse quoad nos; id est in ordine ad nostram cognitionem individuum, ratione cuius nihil contra nostram sententiam colligi potest ex verbis Porphyrij.

Ad secundum ex autoritate sancti Ceberini 49 Boëtij eodem modo responderetur ante solutionem tertij argumenti, in memoriam revocanda sunt breviter illa, quæ diximus in Logica, circa has loquutiones, distinguere essentialiter, vel habere distinctas essentias; tunc enim aliqua dicuntur distinguere essentialiter quando non conveniunt, neque assimilantur in prædicatis essentialibus, prædicata autem essentialia metaphysica existimantur illa; quæ constituunt rem aliquam novum gradum illi conferendo essendi quod sit principium alicuius operationis, vel proprietatis, quod necessario est aliqua differentia specifica, vel gradus superior contrahibilis per illam; cum autem differentia individuales (licet à parte rei sint tam essentielles Petro, sicut rationalitas vt constat ex dictis ad Logicam, non sint principium alicuius operationis, aut proprietatis, sed supponant in ordine metaphysico omne principium operandi, præcipue illud quod est in ordine ad cognitionem scientificam, & evidentem, quæ vt plurimum habetur, sit vt non dicantur differentia essentielles, vel formales, sed tantum individuales, & materiales, & in ordine metaphysico dicimus esse extra essentiam rei, quia metaphysici solum naturam specificam, & quæ in illa includuntur formaliter, vocant essentiam; quia tantum attendunt ad rationes communes pluribus, de quibus facile, & communiter datur scientia, & illa, quæ dicuntur distinguere per has differentias, non dicuntur distinguere essentialiter: sed tantum habere distinctas essentias.

Ad tertium distinguo maiorem quantum ad 50 primam partem, essentialiter metaphysice nego maiorem, essentialiter, realiter, materialiter, & entitative, concedo maiorem, & nego minorem sub eadem distinctione, & ad primam illius probationem, distinguo maiorem, non contineret actu totam quidditatem individui metaphysicam, & formalem, nego maiorem, materiale, & entitativam concedo maiorem, & concedo minorem sub eadem distinctione, & ad probationem minoris concedo maiorem, & minorem sub eadem distinctione, & ad probationem maioris concedo antecedens, & distingue consequens, non contineret actu totam essentiam, metaphysicam, & formalem nego consequentiam, materiale, & entitativam concedo consequentiam, & ad probationem consequentiæ distinguo maiorem, per quod distinguitur essentialiter formaliter metaphysice, concedo maiorem, essentialiter materialiter, & entitative, nego maiorem, & distinguo minorem, eodem modo per quod distinguitur essentialiter formaliter, metaphysice nego minorem, materialiter, & entitative, concedo minorem, & ad probationem minoris concedo maiorem, & distinguo minorem, distinguitur essentialiter

Na liter

liter formaliter, metaphysice nego minorem, essentialiter materialiter, & entitative, concedo minorem; ad secundam probationem eiusdem minoris distinguo maiorem, per differentias essentielles formales concedo maiorem, materiales, nego maiorem; & ad argumentum inde deductum nego primam, & secundam consequentiam; probatio autem illius nullius momenti est, quia supponit falsum, scilicet quod individua distinguantur accidentaliter.

Ad quartum concedo maiorem, & nego minorem, & ad probationem illius nego maiorem.



QVÆSTIO III.

Verum materia signata quantitate sit principium individuationis, sumpta quantitate, non quatenus intrinsece afficit materiam, sed solum ut terminus connotatus per illam?

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

PRIMA sententia celebris quidem inter Thomistas affirmat, principium individuationis esse materiam signatam sigillo quantitatis; hæc sententia tribuitur D. Thomæ 1. p. q. 1. art. 1. ad tertium, q. 50. art. 4. ad tertium, & q. 77. art. 1. & in 4. dist. 12. q. 2. art. 1. quæstioncula 2. & opuscul. 29. & tract. de ente, & essentia, & integro opusculo de principio individuationis, & alibi sæpe, imo ubicumque de principio individuationis substantiarum agit, semper illud revo-care videtur in materiam signatam quantitate, quam sententiam clare, & expresse omnes Thomistæ sequuntur, diversis tamen explanationibus discrepantes circa intelligentiam huius signaturæ, inter omnes tamen expositiones plausibilior hoc tempore existit Caietani explicatio, qui ait, materiam signatam quantitate non includere quantitatem ipsam intrinsece, sed ut terminum habitudinis materiæ ad ipsam; est enim materia natura sua capax quantitatis, sed ut sic non potest esse completum principium individuationis, quia est indifferens ad quancunque quantitatem; si-cut ad quamvis formam, per actionem autem agentis præviā ad generationem determinatur ut sit capax huius quantitatis, & non alterius, & illa ut sic dicitur esse individuationis principium; per quantitatem autem intelligitur hoc loco, non solum mathematica quantitas, ut sic dicam, sed physica, id est physicis qualitatibus, & dispositionibus affecta; ita mentem Caietani enucleavit P. Franciscus Suarez. tom. 1. met. disp. 5. de unitate individuali, sect. 3. §. Secunda expositio, quam sententiam hoc modo tradidit Caietanus, de ente, & essentia, cap. 2. quæst. 5. quæ displicuit eidem Caietano (inquit Suarez) 1. p. q. 29. art. 1. & ideo alium invenit dicendi modum, si tamen alius est; ait enim non materiam, ut est in potentia ad hanc quantitatem, sed potius ut virtute præhabentem hanc quantitatem, hoc est quatenus est radix, & fundamentum huius quantitatis esse principium

individuationis; verumtamen non satis intelligitur, quid his verbis distinctum à priori explicatione significetur; quia materia in sententia Caietani, & aliorum Thomistarum non præhabet quantitatem in genere causæ efficientis, sed ab extrinseco agente fit, vel resultat à forma; solum ergo potest illam præhabere in genere causæ materialis, hoc autem nihil aliud est, quam habere illam in potentia receptiva, sed quod idem est, habere potentiam ad illam; sicut materia ut præhabens formam nihil aliud esse potest, quam materia ut est in potentia ad illam, seu potius ut est potentia receptiva formæ, quia non aliter præhabet, quam in genere causæ materialis; idem ergo est in præsentem unum, ac alterum propter eandem omnino rationem: ergo omnia illa verba materia ut fundamentum, ut radix, ut causa eodem revolvuntur; quia materia non est fundamentum quantitatis, nisi materiale, & passivum, nec est radix, nisi ut primum subiectum, neque causa nisi materialis quæ consistit in ratione potentiæ receptivæ: ergo illis omnibus verbis nihil aliud subesse potest, nisi potentia ipsius materiæ ad recipiendam quantitatem.

Neotericus quidam his verbis mentem Caietani explicat: meritorum mihi videtur subtiliter attigisse Caietanum 1. p. quæst. 29. ubi per materiam signatam quantitate intelligendum monet, non materiam propterea est subiectum susceptivum proximum quantitatis, quia hoc habet median-te forma, cum accidentia non in materia prima, sed in toto composito subiectentur, sed quatenus materia est radix quantitatis, fundamentumque ipsius, in priori naturæ ad illam, imo quatenus radicaliter, & virtualiter est ipsamet quantitas per virtualem præcontinentiam eius; unde individuationem substantialem intrat quantitas formalis, tanquam terminus extrinsecus, causatus, & non tanquam intrinseca causa, & principium individuationis, quantitas vero propterea radicaliter, & virtualiter præhabetur intra eandem individuationem substantialem est principium intrinsecum, & causa, quia nihil aliud est, quam ipsamet potentia materiæ substantialis identificata cum ipsa materia prima, propterea est radix, & virtus causativa quantitatis, & consequenter propterea connotat quantitatem ipsam formalem in sequenti signo naturæ habendam tanquam terminum suæ virtutis radicalis, & effectum ab illa originatum.

Probatur primo autoritate Aristotelis lib. 3. 4. met. cap. 6. tex. 42. ubi dicit ea esse unum numero, quorum materia est una, & lib. 7. cap. 8. tex. 18. formam in his carnibus, atque ossibus esse Socratem, & Calliam; sed præcipue lib. 12. metaph. cap. 8. tex. 49. ubi ex professo disputat de substantijs separatis, & de numero illarum, hancque statuit generalem regulam, quancunque sunt unius specie, & plura numero, materiam habent; ex qua inferit substantialem immaterialem, quæ est primum principium motus supremi corporis celestis, non posse multiplicari secundum numerum, sed esse unum tantum negative; hoc est essentialiter ex se omnino indivisum; discursus Aristotelis ad formam dialecticam constitutus sic est. Tota multiplicatio numerica in substantijs provenit à materia; sed substantia maxime separata, quæ est principium motus supremi corporis celestis omnino caret: ergo non potest